

dicatum; sed ab ea, cujus subjectum est. Ita hæc propositio: Respubl. est ens per aggregationem cum ordine; Politica propositio est, & non Metaphysica, etiamsi ex Metaphysica prædicatum hoc sit depromptum. Et sic non minus Theologica erit propositio, quæ ex subjecto Theologico & prædicato Philosophico constat, quandoquidem Philosophia Theologiæ subordinatur. Nam communitas prædicati per subjecti singularitatem, vel particularitatem quasi restringitur atque coarctatur, ut intelligendum non latius in propositione sit, quam quatenus subjecto illi conveniat: utut aliàs in se subjectum in propositionibus (nisi expresse præfixum sit signum particulare, æqualem prædicati cum subjecto latitudinem indicans) semper angustius prædicato esse oporteat. Quæ vero propositionis, eadem & problematis ac quæstionis ratio est. Non enim nisi solo proponendi modo differunt, propositione prædicatum de subjecto diserte vel affirmante vel negante, quæstione autem & problemate tantum interrogante, num prædicatum de subjecto affirmandum sit, an vero negandum?

§. IV. Ex quibus hætenus, quæ fieri licuit brevitate, deductis plus satis manifestum erit, præsens nostrum Problema omnino Theologicum esse. Quantumvis enim prædicatum ejus ex Logica sit desumptum, subjectum tamen merè Theologicum est, Philosophia vel ipsas voces *regeniti & irregeniti* prorsus ignorante penitusque. Generationem naturalem Philosophia in Physica quidem explicat, at regenerationis adeo incognita ipsi est, ut rationi sibi relicte merum ens rationis, imo, quatenus corrupta, absurda & impossibilis planè æstimeretur, quippe quæ de alia, quam quæ naturalis est, generatione nihil novit, & regenerationem, audito forsitan hoc vocabulo, naturali illi generationi assimilat. Exemplo id suo edocet Nicodemus ille *Job. III. 4.* qui, cum Salvator ei dixisset: *Nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum DEI;* illico mirabundus excipiebat: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? num potest in uterum matris sue iterum inspicere, ac nasci?* Est ergo Articulus de Regeneratione purus, qui ex divina revelatione sola credi debet, ex Lumine Naturæ sciri nequaquam potest. Quandoquidem autem *regeniti & irregeniti* formalem constitutionem Philosophia non intelligit, eoque modo de differentia unius ab altero differere valebit? siquidem hæc ex illa cognoscenda est, atque di-

A 3

judicanda